

fratres ad vos expeditos exactius omnia viva voce referre
nihil diffidam. Vale rectissime, doctor venerande, una cum
suis et nostra nationi favere perga. Babam Varadino
die Gregorio Papa sacro, Anno currenti: ibiq.

Rev. Tue Paternitati: Adiectissimus
Johannes Dayka Keserüinus
Aulicus Fili P. Concionator ac S.

235.

Reverendo Viro D. Bartholomaeo Hexamero Ecclesiae
Bipontinae Pastori et Superintendenti vigilantissimo
David Pareus S. P.

Praematurè quidem, Reverende Dne Hexamere, anti-
quissime Amice, Ecclesia vestra, Clarissimi Dni
Doctoris Beutheri ministerio orbata fuit; quia verò
te successorem nacta est, veteranum atq; exercita-
tam in opere Dni ministrum atq; Pastorem; equidem
et tibi gratulor, et ipse gaudeo, quò habeat: quò facilius
jacturam illam dedoleat. Heilmannus Bipontinus, qui
superiore aetate ex Academia nostra in Bohemiam
concessit, ut nostri, Pilsna à Mansfeldio expugnata,
hactenus Ministerio fungitur; is aliquoties M. Nico-
laum Pistorium vestratem, collegii Casimiriani alu-
mnum ad se advocavit ad ministerium. Quoniam manus
copiosa, operarii pauci. Huic consulenti me author
fui, ut patria prius operam suam deferret. Venitigi-
tur ad vos, ut vestro utatur ac juvetur consilio.
Quòd si apud vos locum inveniet, bene erit. Exer-
cuit se concionando et Sotes non contemnendas
habet cum aetate, qua tamen aliquandiu frui stipendio
apud vos potest; sin autem; ablegare eam cum
commendatione ex aula ad aliquem patronum, quem
fortè ex Heilmanni literis vobis nominabit. Clades
Mansfeldio inflicta ex insidiis, hostium spes non nihil
extulit. Sed anceps Martis alea, nec semper bona causa, sed
tandem vincit. Heri Heilbrunna nova venerunt, de vindiciis
Thurnensis, caesis hostibus, spoliis recuperatis. Orandè deus, ut con-
fundat Anti-Christianorum machinationes et servet Ecclesiam
Reverendie Elector Moguntinæ hic expectatur, fortè praesertim nostrum
serenissimum pro voto, vel verba daturus. Vale feliciter. Heild. 20. Junij
1619.